

Vc  
647





8215 R

30

De Symbo  
Magorum  
Sapientia Elevarum  
et suum

Vc  
647

IN SUMMI NUMINIS GLORIAM,  
ET IMMORTALEM MEMORIAM  
**CONFESSIONIS AUGUSTANÆ,**  
AUGUSTISSIMO ROMANORUM IMPERATORI,  
**CAROLO V.**

AUGUSTÆ VINDELICORUM

D. XXV. JUN. MDXXX. EXHIBITÆ

AUGUSTIS AUSPICIIS

*SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,*  
DOMINI

**CHRISTIANI**

DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVLÆ, MONTIUM,  
ANGARLÆ ET WESTPHALIÆ; LANDGRAVII THURINGIÆ;  
MARCHIONIS MISNIÆ ET UTRIUSQUE LUSATIÆ; COMITIS  
PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGICI, COMITIS MARCÆ,  
RAVENSBERGÆ ATQVE BARBY; DYNASTÆ  
RAVENSTEINI, RELIQUA;

PRINCIPIS, NUTRITORIS AC DOMINI  
NOSTRI QUAM INDULGENTISSIMI,

**FESTO JUBILÆO SECUNDO**

D. XXV. XXVI. ET XXVII. JUNII MDCCXXX.

PIE SOLENNITERQUE CELEBRATO,  
DE

**AUGUSTA AUGUSTANÆ**  
CONFESSIONIS DIGNITATE  
IN LYCEO QUERFURTHENSI

D. XXVIII. IUN. D. A.

ORATIO SECULARIS

HABEBITUR,

AD QUAM BENEVOLE AUDIENDAM

OMNES PATRONOS, FAUTORES ATQVE AMICOS  
EA, QUAM CUIVIS EORUM DEBET, OBSERVANTIA

INVITAT

M. ADAM ROEDER,  
RECTOR.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

LITTERIS IOANNIS GRUNERTI, ACAD. ET SENAT. TYPOGR.





Ugustanam Confessionem esse *verum Ecclesie Lutheranae Symbolum*, constat inter omnes <sup>ymonias</sup> Lutheranos: quorum pace si licet, *de Symbolis* pauca disserere libet. Non quidem vetustissimum, quem

veteres Philosophi iudicabant venustissimum, omnem investigabo *Symbolorum usum*. Cui enim usui esset, recensuisse inutilem Symbolicam docendi rationem, qua inter Græcos utebatur *Heraclitus*? qui Librum de Natura, obscuris Symbolorum integumentis texit, ne sapientiæ naturalis arcana a vulgo profanarentur; sed eruditus solis sacra referuarentur. Gratissimam tamen utilitatem inesse *Symbolis Pythagoræ*; qui nonnullis *Symbolicæ sapientiæ autor* creditur, in principio adagiorum chiliadum exposuit Erasmus.

Num vero rimanda atque miranda sint <sup>ισογλυφικά</sup> *Ægyptiorum Symbola*, sensa mentis non per literas aut voces, sed per animalium aliarumque rerum figuras exprimentia? de quibus *Tacit. Lib. XI. Cælius antiq. Lect. lib. XVI.* in medio relinquere lubet. Lucet enim quibusdam antiquitatum admiratoribus non solum *Lysidicæ columna sepulchralis*, in qua conspiciebatur *frænum*, moderatricem ejus potestatem; *claustrum*, ipsius taciturnitatem; atque *gallus gallinaceus*, illius vigilantiam indigitans, ex mente *Antipatris in Epigram. Græc.* Verum etiam nobilissimæ *Myronis monumentum*, in quo hujusmodi Symbola apparebant insculpta, nimirum *arcus*, significans, ipsam fuisse heram, rebus agendis intentam; *canis*, liberorum amantem; *lorum*, familiæ castigatricem; *anser*, domus custodem; *noctua*, industriam Palladis ministram. Videatur *Salmasius ad Solinum p. 1121.*

Sed otiosos, ideoque odiosos, istorum hominum lusus facio missos: progressurus ad gratiosa *solertium ingeniorum Symbola*, quæ *Apophthegmata*, *adagia*, dictaque *memorabilia* salutantur, ac in ore virorum præclara eruditio-

ditione insignium, vel Principum rebus præclare gēstis illustrium sæpe versantur. Tale est illud Homeri, quod TULLIUS a puero adamavit:

Αἰὲν ἀρεστέον, καὶ ὑπέροχον ἔμμεναι ἄλλων.

*Optima semper agas, aliis præstantior esto.*

LUTHERUS noster, invicti animi robur ostensurus ex Ef. XXX, 15. eligebat

ⲙⲉⲗⲁⲛⲑⲟⲛⲓⲥ ⲉⲣⲓⲧ ⲉⲣⲓⲧ ⲉⲣⲓⲧ ⲉⲣⲓⲧ

*In silentio & spe erit fortitudo vestra.*

MELANCHTHONIS Symbolum erat:

*Hic scopus unus erit: cunctis prodesse, nocere  
Nemini, amare bonos, & tolerare malos.*

Nonnulla quidem Symbola videntur difficilioris aut altioris indaginis esse, quamdiu altiores Autorum cogitationes latent: nonnulla tamen facile patent, suntque maxime perspicua atque proficua. Ad priorum genus pertinent quinque Vocales A. E. I. O. U. quibus Symbolum suum FRIDERICVS III. Imperator Romanus conscripsisse, variasque interpretationes effingendi occasionem præbuisse, dicitur; ex quibus eminent:

Austrii Erunt	Imperatores	Orbis.	Ultimi.
Austria Erit	In	Orbe	Ultima.
Austria Electa	Iuste	Omnia	Vincet.
Austria Extendetur	In	Orbem	Univerfum.
Austriæ Est,	Imperare	Orbi	Universo.
Aller Ehren	Ist	Oesterreich	Voll.

Ad posteriorum genus referri possunt subsequentiū Imperatorum Symbola, & quidem MAXIMILIANI I. *Respice finem.* CAROLI V. *Plus ultra.* FERDINANDI I. *Fiat justitia, aut pereat mundus.* MAXIMILIANI II. *Dominus providebit.* RVDOLPHI II. *Omnia ex voluntate DEI.* MATTHIÆ, *Concordia lumine major.* FERDINANDI II. *Legitime certantibus.* FERDINANDI III. *Pietate & justitia.* LEOPOLDI, *Consilio & Industria.* IOSEPHI, *Amore & Timore.* CAROLI VI. *Fortiter & Constante.*

Et quoniam piētissimis Electoribus atque Ducibus Saxoniae per ducentorum annorum spatium, non alia Symbola, nisi *quae verbi divini aeternitatem, Summi Nummi gloriam, & salutem*, a solo Christo petendam, respiciunt, curae cordique fuere; spero totus, fore, ut aequi bonique consulatur ipsorum Symbolorum recensio. O quam sapienter agebat FRIDERICUS Sapiens, (qui in arduo Reformationis opere, cujus auspicia A. MDXVII. multis videbantur dubia atque incerta, erat certissimus Megalandri amicus, postea firmum praesidium, tandemque dulce decus,) cum publice demonstraret, quanti verbum divinum post Reformationem faciat, variis mone- tis hoc lemmate cufis:

VERBUM DOMINI MANET IN AETERNUM.

Vide sis *Schlegelii Biblia in Nummis pag. 140.*

O quam constanter fretus DEI auxilio & bonitate causae, CAROLO V. Confessionem fidei suae & Statuum Protestantium, Augustae Vindelicorum, tradendam curavit IOHANNES CONSTANS. Ut autem in oculis & amicorum & inimicorum esset, quo fundamento ista Confessio atque heroicus ipsius animus nitatur, in solenni famulorum suorum vestitu, publicae tesserae loco, has esse voluit literas, V. D. M. I. Æ. *Saubert. in miraculis A.C. p. 58.* Quarum significationem declaraverunt Ipsius nummi aurei atque argentei. Horum una facies IOHANNIS Elect. Sax. effigiem, pectore tenus formatam, addita Epigraphe,

VERBUM DOMINI MANET IN AETERNUM.

Aversa autem facies haec verba memoratu dignissima exhibuit:

IOHANNES CHURFURST ZU SACHSEN THUT  
BEKENNEN FREY AUS HELDEN-MUTH:  
DAS DIE LEHR, SO ER UBERGEBEN,  
SEY DIE RICHTSCHNUR ZUM EWIGEN LEBEN.

O quam venerabile & sanctum erat dictum illud, VERBUM DOMINI MANET IN AETERNUM, DIVO IOHANNI GEOR-  
GIO

gio I. Electori Sax. qui primus, qui lætissimus, qui munificentissimus, *tria Ecclesie Lutherane Jubilæa Secularia* celebravit; & quidem A. MDCXVII. auspicate Reformationis; A. MDCXXX. Augustanæ Confessionis; A. MDCLV. Pacis Religionis memoriam solennissimo ritu repetens. Quanta fuerit piissimi Electoris munificentia, vel ex aureis monetis Jubilæis, quibusdam x. aut xii. quibusdam xviii. aut xx. aureorum valorem exæquantibus, satis liquet. Sed

Tantas non cuivis contingit habere monetas.

Quemadmodum vero *Poeta Libr. IV. Od. IV. 29. canit:*

Fortes creantur fortibus, & boni

Bonis; nec imbellem feroces

Progenerant aquilæ columbam.

Sic gloriosis Majorum vestigiis religiosi insistebant posterii. Reverendissimus enim Primatis & Archi-Episcopatus Magdeburgensis Administrator, AUGUSTUS, filius Iohannis Georgii I. natu secundus, sancto autem sanctæ Trinitatis amore nemini secundus, utebatur Symbolo: *Sancta Trinitas mea hæreditas.* DIVUS IOHANNES ADOLPHUS: *In DEO salutare meum & gloria mea.* D. IOHANNES GEORGIUS: *Crux Christi mea salus.* Denique piissimum *Serenissimi Principis ac Domini, DOMINI CHRISTIANI, Ducis Saxonie, J. Cl. M. A. W. Principis ac Domini, & Nutritoris nostri longe Clementissimi & indulgentissimi,* duo Symbola: *Cum DEO Salus!* Et, *Christus Hilff Zur Seeligkeit!* silentio præterire eo minus fas est, quo major apparet Hujus *Serenissimi CHRISTIANI vere Christiani pietas in DEUM,* unicum veræ, certæ atque æternæ salutis fontem. O quam seria & vera est IPSIUS voluntas, subditos suos ejusdem salutis participes reddendi! O quam incredibili flagrat amore gloriæ DEI promovendæ, cultus divini rite peragendi, Religionis Evangelicæ perpetuo conservandæ! O quam as-

B sidiuam

fiduam adhibet curam in templis, quæ defunt, plane no-  
vis exstruendis! quæ ruinam minantur, reparandis! quæ  
incendio absumta vel vetustate collapsa, instaurandis!  
O quam splendidus est Ornatus, Ecclesiis fere omnibus  
dono datus! O quam multæ sunt campanæ, sumtibus  
EIUS, in plurimis locis, ad usus sacros comparatæ! Ex  
quibus novissima Langendorffensis Campana luculen-  
tissimum perhibet testimonium. In ejus una parte, cui  
triplex C. maximo est ornamento, hæc verba leguntur:

CHRISTIANUS COMPARAVIT CAMPANAM,  
UT DEUM LAUDET, CLERUM VOCET,  
POPULUM CONGREGET, COR EXCITET,  
DOMINICAM INDICET, FESTA DECORET.

In altera vero parte, cui Insignia Saxo-Querfurthenfis  
insigne afferunt decus, apparet Serenissimi Principis  
Symbolum: *Cum DEO Salus.*

Infra:

CHRISTE DA SALUTEM.  
CHRISTIANUM DUCEM SERVA.  
CUSTODI DOMUM SAXONICAM.

Ex his celebrium Virorum, illustrium piorumque Prin-  
cipum Symbolis, nullo negotio discerni quidem possunt  
homines, quinam honestatis, pietatis, probitatis sint  
amantissimi? quorsum eorum consilia tendant? quales  
induant mores? Cujus sint religionis? quanti habuerint  
Verbum Domini? quam serio salutis suæ aliorumque pro-  
spiciant.

Tamen non possum non addere exempla, quæ com-  
monstrant, *Symbolum sæpius significare tesseram milita-*  
*rem* vel notam, qua milites proprii ab hostis exercitu  
distingui solent, cum ex Historiæ Politicæ, tum ex Sacra-  
rum Literarum monumentis conscripta.

Istiusmodi Symbolum in prælio, Anno MDXL, ad  
Winsbergam edito, militibus Cæsareanis erat: *Hie Weib-*  
*lingen!*



*lingen!* Quia Cæsar, CONRADUS III. Weiblingæ natus, renatus & educatus fuerat. Contra vero Saxones, alioquin Saxi duritiem induentes, clamabant: *Hie Welf!* quoniam id nominis erat ipsorum Duci fortissimo, a quo ducebantur. Unde tunc temporis, qui Cæsari favebant, appellati sunt *Gibellini*, Italis vocem Weiblingen sic detorquentibus; qui autem illi adversabantur, dicti sunt *Guelfi*. Sic *Hornius de factionum harum origine*. Aliam vero appellandi rationem suggerit *Johannes Kraus*, Canonicus Argentiniensis, in *Vitis Imperatorum*. GUSTAVUS ADOLPHUS, Rex Sueciæ, gloriosissimus Libertatis & Religionis Vindex, A. MDCXXXII. d. VI. Nov. prope Lüzenam, pugnæ, quam pugnaturus erat, signum dedit: *Gott mit uns!* Wallenstein vero, qui exercitui Imperatoris præerat, tesseram dari iussit: *Jesus Maria!* *Neumeister. Symb. p. 132.* κίλισμα, quo CAROLUS XII. Rex Sueciæ A. MDCC. d. 17. Nov. milites suos, ad fortiter dimicandum contra Rufforum copias, Narvam obsidione arctissima cingentes, adhortabatur, hoc fuit: *Gott wird uns helfen!* *Schlegel. Bibl. p. 126.*

Hujusmodi Symbolum invenies Jud. VII. 20.

תָּרַב יִרְדָּה וְלִגְדָּן:

trecentis Gideonis militibus, tessera loco, propositum. Si libet historiam belli Civilis, ab Ephraim Gileaditis justissimis injusta ratione illati, Jud. XII. 6. evolvere, animadvertes, pronunciationem vocis תָּרַב־יִרְדָּן fuisse tesseram, qua Ephrataeus omnis, in patriam suam reversurus, facile dignoscebatur. Illam enim vocem aspirate effari iussus, blæsa lingua pronunciabat תָּרַב־יִרְדָּן hoc signo hostis agnitus, confectim jugulabatur. Symbolorum recensio coronidem imponit tessera militaris: *A DEO victoriam!* 2. Macc. XIII. 15. quæ fuit Judæorum, adversus Antiochi agmina pugnantium.


B 2

Quod

Quod reliquum est, Protasi Apodofio subjuncturus, ex Historia Ecclesiastica repetendum duxi, *vocem Symboli*, post Concilium Nicænum, *metaphorice sumtam*, & *de publica doctrinæ Christianæ Confessione usurpatam*, eaque, ceu insigni nota & tellera, Christianos orthodoxos a quibusvis hostibus veritatis distinctos fuisse. Inde Reges, Principes, Comites, urbiumque Imperialium Proceres, Religioni Lutheranæ *addicti*, *Augustanam Confessionem*, Inviçissimo Imperatori CAROLO V. a piis Majoribus d. xxv. JUN. A. MDXXX. eo fine, ut publicam de præcipuis fidei suæ articulis rationem redderent, atrocissimas adversariorum calumnias refellerent, nec non ab Ethnicis, Turcis, Judæis, Anabaptistis, Zwinglianis, & aliis omnibus, quocunque venirent nomine, hæreticorum gregibus sese distinguerent, in Augustanis Comitii solenniter exhibitam, *in numero Librorum Ecclesiæ Lutheranæ Symbolicorum jure meritoque habent*, eamque tanti faciunt, ut, Seculo altero jam peracto, Jubilæum Seculare Secundum concelebrare constituerint.

Ante multos alios *Serenissimus Princeps ac Dominus*, DOMINUS CHRISTIANUS, *piissimus PATER* Patriæ nostræ, doctrinam in Augustana Confessione expositam tantis in deliciis habet, ut eandem subditis suis plane cognitam perspectamque reddi serio velit. Ideoque ad mandatum *Piissimi Principis* sacer hymnus, *Von ganzen Hertzen glauben wir*, &c. omnes xxviii. A. C. Articulos describens, a D. Johanne Dav. Schieferdeckero, *viro doctissimo*, bene compositus, & ante xvi. annos typis impressus, in omnibus Querfurthenfis Principatus sacris ædibus cantatur. Ad mandatum *Piissimi Principis*, *Augustanæ Confessionis Articuli* pro suggestu sæpius explicantur. Ad mandatum *Piissimi Principis*, sacris *trapezovskis* superiori hebdomade præmissis, auditorum piorum animi ad *solennissimum Jubileum* excitati sunt; Festum vero ipsum, Textibus sacris ad *Sacra Hilaria Secularia* accommodatis, in debitam Confessionis Augustanæ memoriam, per triduum publice celebratum est. Ad mandatum *Piissimi Principis*, Festi hujus celebritas, etiam inter privatos *Lycæi Querfurthenfis* parietes, *Oratione* continuabitur seculari, qua *Confessionem Augustanam esse augustam*, divina favente gratia, demonstraturus sum. Omnes igitur PATRONOS, FAUTORES atque AMICOS, qui *Augustanam Confessionem amant*, eamque caram habent, omni ea, qua par est, observantia rogatos volo, ut crastino die Mercurii, hora X. in *auditorio Scholastico* haud gravatim comparere, mihi que dicenti animis linguisque favere dignentur. Id quod eximii favoris atque amoris *тешнаго* gratissimus celebrabo, & quantum in viribus meis positum erit, sancte demereri nunquam non studebo. Dab. Querfurthi d. v. Calend. Quintil. A. O. R. MDCCXXX.

A. C. A. C. C.



r  
.  
y  
i  
r  
t  
-  
n  
-  
1  
s  
-  
e  
n  
e  
s  
s  
s  
i  
-  
1  
-  
s  
-  
L  
-  
v

ULB Halle 3  
005 892 694  


1018





8213 R

30

De Symbo  
Magnorum  
Fayonia Censorum  
et Sacrum  
Vc  
647

IN SUMMI NUMINIS GLORIAM,  
ET IMMORTALEM MEMORIAM  
**CONFESSIONIS AUGUSTANÆ,**  
AUGUSTISSIMO ROMANORUM IMPERATORI,  
**CAROLO V.**

AUGUSTÆ VINDELICORUM

D. XXV. JUN. MDXXX. EXHIBITÆ  
AUGUSTIS AUSPICIIS

*SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,*  
DOMINI

**CHRISTIANI**

DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM,  
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ; LANDGRAVII THURINGIÆ;  
MARCHIONIS MISNIÆ ET UTRIUSQUE LUSATIÆ; COMITIS  
PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGICI, COMITIS MARCÆ,  
RAVENSBERGÆ ATOVE BARBY; DYNASTIÆ  
RAVENSTEINII, RELIQUA;

PRINCIPIS, NUTRITORIS AC DOMINI  
NOSTRI QUAM INDULGENTISSIMI,  
**FESTO JUBILÆO SECUNDO**

D. XXV. XXVI. ET XXVII. JUNII MDCCXXX.

PIE SOLENNITERQUE CELEBRATO,  
DE

**AUGUSTA AUGUSTANÆ**  
**CONFESSIONIS DIGNITATE**  
*IN LYCEO QUERFURTHENSI*

D. XXVIII. IVN. D. A.

ORATIO SECULARIS

HABEBITUR,

AD QUAM BENEVOLE AUDIENDAM

**OMNES PATRONOS, FAUTORES ATOVE AMICOS**  
EA, QUAM CUIVIS EORUM DEBET, OBSERVANTIA  
INVITAT

**M. ADAM ROEDER,**  
RECTOR.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

LITTERIS IOANNIS GRUNERTI, ACAD. ET SENAT. TYPOGR.

